



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Vita Et Virtvtibvs R. P. Bernardi Colnagi E Societate Jesv Libri Dvo

Paullin, Johannes

[Monachii], 1662

Cap. XI. Iustitia Bernardi piè severa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44152**

## CAPUT XI.

*Iustitia Bernardi pie severa,*

## §. I.

**S**I omnes iustitiæ numeros absolvit, qui cuique suum tribuit, Bernardus certè si quisquam alius, Iusti cognomenrum sibi jure vindicat: qui Patriæ, sudores, doctrinam, zelum; parentibus, obedientiam & amorem; majoribus, venerationem; æquilibus, humanitatem & obsequia; inferioribus, paternam benevolentiam; omnibus, charitatem impertivit; Deo vires corporis, animi facultates, vitam denique omnem prolixa pietate consecravit.

Non habuit equidem campum, in quo suam iustitiæ, quam distributivam, & commutativam ajunt, amorem studiumque velut ad palum exerceret, eam tamen, quæ legibus servandis, vel plectendis fontibus invigilat, plenè complexus divinas humanasque sanctiones, quin & minimas ordinis nostri regulas accuratione maxima implevit; &, sicubi forrè sibi lapsus esse videbatur, acerrimus culpæ, quæ vix criminis umbram haberet, censor & vindex, supplicium de se ipso

ipſo ſumpſit ſævum & inclemens. Nunquam auditus eſt aliorum famam verbo lacerare, facta dictaque in dereriores partem trahere, quòdque tam proclive eſt mortalibus, obvia quæque carpere, exaggerare errata, vel juſtitiæ obtentu temerè judicando falcem in alienam meſſem mittere. Ab his enim idque genus alijs obterendæ famæ technis adeò longè abſuit, ut illaram alieno nomini cladem, etiam cum vitæ periculo cenſuerit reparandam.

## §. II.

Vir nobilis Catanâ publico judicis decreto pulſus, Bernardum Romæ acceſſerat, ut quid in patria ſibi eveniſſet, mœſtus dolensque exponeret. At quamprimum à Patre occupatus, & verbis acerbiffimè caſtigatus eſt, quòd è patria diſceſſerit, nec antè famam viro nobili, eſſi inimico reſtituerit, quem falſo teſtimonio in judicio oppreſſerat. *Actutum, ajebar Bernardus, Catanam proficiſcere, vir bone, & inuſtam alienæ famæ notam dele. In præcipiti conſiſtis & lubrico: properato opus eſt, de æterna animæ tuæ ſalute agitur. noli moras neſtere, quia brevis ſupereſt tibi vitæ mora.* Conſternatus his verbis advena, eſſi parère veller, id minimè poſſe

posse querebatur, cum inopiam pecuniarum poenam in proscriptos latam non immerito caussatus. Neque tamen urgere destitit Bernardus; verum corrogato ab amicis viatico hominem in Sicilia remisit, bonae spei plenum, poenas, quae reducē manerent, Deo avertendas; quod Dei causā & jussu rediret. Catanam ergo feliciter pervenit, ibi lethifero prostratus morbo, ut innocentem liberaret, quod Bernardus adeo graviter inculcaverat, accersito Scriba publico, falsam calumniam, testimonium ante datum rescidit, atque innocentem pronunciavit, quem falso reum egerat; sicque P. Bernardo, & absentis delictum, & imminentem brevi mortem mirabiliter cognitam fuisse demeritum, animam tam gravi scelere exoneratam expiatamque suavius securusque exhalavit.

